Eversmann, E.- Vespertiliones in promontoriis Uralensibus. (1845)

HARVARD UNIVERSITY.



LIBRARY

OF THE

MUSEUM OF COMPARATIVE ZOÖLOGY

51,852

H. A. Hagen library.

May 2, 1919.

MAY 2 1919

No. 9.

51, 852

VESPERTILIONES

IN

PROMONTORIIS URALENSIBUS TRACTIBUSQUE

CONFINIBUS OBSERVATI

A D. EDUARDO EVERSMANN.

(Extrait du Bull. de la Soc. Impér. des Natural. de Moscou.
Tome XVIII. 1845.) 489-516

MAY 2 1919

VESPERTILIONES

in

PROMONTORIIS URALENSIBUS TRACTIBUSQUE CONFINIBUS OBSERVATI

A D. EDUARDO EVERSMANN.

Summa Zoologorum Rossicorum ratio est, ut satis videtur, faunam patriae studiose curandi. Eam, profecto! instituere, pro viribusque et rerum conditione perficere quemque omnium maxime decet. Quod cum ad opus promovendum unius viri virtutes non sufficiant, quisque, ut opus, quod adhuc mancum est, tandem absolutum et perfectum evadat, suum conferat stipem. Sed specierum enumeratio, nisi critica iis descriptio addita est, ad opus, quod volumus, exigendum minime valet; descriptio autem accurata, quoniam hominum est errare, impedit, quo minus errores com-

mittantur, potius falsum a vero separandi dat idoneam rerum apparatarum conquisitori facultatem.

Prae ceteris in nulla Mammalium familia accuratae descriptiones magis, quam in Vespertilionum desiderantur, cujus familiæ species ob mancas antea diagnoses multoties confusae nec diligenter separatae sunt; sed opus Keyserlingii et Blasii (*), virorum celeberrimorum, Vespertilionum species critice discernendi viam et rationem ostendit, quam ego viam ingressus Vespertiliones, quos ipse in montibus Uralensibus tractibusque confinibus observaverim atque exploraverim, nunc accuratius describam.

1. Vespirugo Noctula *Schreb.*

Tab. XII f. 1.

Vesperugo Noctula Keyserl. u. Blas. Wirbelth. n 80.—*Vespertilio Noctula Schreb Säug. I p.* 166. *Tab. LII.*—*Vespertilio proterum Kuhl. Deutsche Flederm. p.* 33. *n.* 5.— *Vespertilio ferrugineus Brehm. Ornis. III. p.* 26.

(*) Die Wirbelthiere Europa's. Von A. Graf Keyserling und Professor J. H. Blasius. — Erstes Buch: Die beschreibenden Charactere. Braunschweig, 1840.

V. Dentes primores superiores interni integri, externi postice excavati; auriculæ amplæ capite breviores, subrotundo triangulares, trago brevi spatulato-reniformi; vellus fulvum pilis concoloribus; patagium subtus per totum tractum brachialem villosum. β. vellere obscuriore, fusco-brunneo.

Habitat in provinciis Casanensi et Orenburgensi. Var. β. habeo campis Kirgisorum orientalibus, lacui Noor-saisan vicinis.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati, duo interni subulato-cylindrici obtusi, duo externi in basi lati, latere laniarium versus spectante excavati, interne et externe cuspide parva vel gradu acuto prædíti, cuspide tertia primaria denti interno apposita eoque paululo minore. Laniarius utrinque unus fortissimus, duplo et dimidio primoribus longior hisque proxime positus. — Molares utrinque quatuor, cum quinto accessorio minutissimo vix conspicuo, in latere interno inter laniarium et molarem adposito, diastema nullum: primus unicuspis, dimidium laniarium paulum superans, sed posticis tribus paululo longior est, hi æquales, interne gradu basali acutiusculo instructi, externe ter plicati, machæri figuram /\/\ referente.

Dentes inferiores: primores sex parvi tricrenati aut tuberculati aciebus inter se parallelis: duo intermedii in tomii directionem positi, utrinque duo externi crassiores transversi. Laniarius utrinque unus, laniario superiore paululo brevior. Molares utrinque quinque continui, duo anteriores unicuspides, dimidium laniarium paululum superantes sed paululo breviores, quam tres posteriores quinque cuspides, cuspidibus duabus externis majoribus.

Rostrum latum obtusum rotundatum. Auriculæ sat magnæ, amplæ, sed breves, latitudine vix longiores, subtriangulari-rotundæ, apice obtusissimæ, rotundatæ, margine externo basi inflexo et antrorsum ad oris angulum protenso, — margine interno in basi rotundato. Tragus dimidia aure brevior, spatulato-securiformis, apice triplo latior, quam basi. — Patagium lumbare usque ad tibiæ apicem vel tarsi basin adnatum. Membrana appendicularis ossis calcis semiovata, distincta. — Phalanx prima digiti tertii et eadem phalanx digiti quarti sunt æque longæ, fere eadem longitudine, qua phalanx prima cum secunda digiti quinti una sumptæ; digitus quintus totus eadem longitudine est, qua phalanx digiti tertii prima cum tertia parte secundæ.

Notæum rufum aut fulvum, gastræum eodem colore, sed paululo pallidius, utriusque pili basi apiceque concolores. Patagium rufo-fuscum, con-

color, superne nudum, solum in corporis propinquo vellere tectum; inferne circa corpus et per totum tractum brachialem usque ad digitum quartum sat late villosum.

Var. β. differt vellere supra rufo-fusco, subtus dilute fusco, patagio nigro et villo brachiali rariore; dentibus et artuum proportione non differt a forma genuina.

Mensuræ Vesperuginis Noctulæ, (in exemplari exsiccato sumptæ):

Longitudo corporis a rostro ad anum. .	3″	2‴ Parisiorum
« ab ano ad caudæ apicem. , .	1″	9‴
Alarum expansio.	16″	4‴
Longitudo digiti quinti.	2″	8‴
« « tertii.	4″	3‴

Mensuræ varietatis β. (e exuviis).

Longitudo corporis a rostro ad anum. .	2″	11‴
« ab ano ad caudæ apicem. .	1″	7‴
Alarum expansio.	13″	6‴
Longitudo digiti quinti.	2″	$1\frac{1}{2}$‴
« « tertii.	3″	$7\frac{1}{2}$‴
« auris ad marginem internum.		$5\frac{1}{8}$‴
« « « « externum.		$7\frac{1}{2}$‴
Latitudo auris.		$5\frac{3}{4}$‴

2. Vesperugo Leisleri *Kuhl.*

Tab. XII. Fig. 4.

Vespertilio Leisleri Kuhl, Deutsche Fledermäuse p. 38 *n.* 6. *Vesperugo Leisleri Keyserling u. Blasius, Wirbelthiere Europa's n.* 81.

V. Dentes primores superiores unicuspides acuti; auriculæ subrotundæ, trago obovato-reniformi, dimidiam auriculam non attingente; vellus pilis bicoloribus: basi fuscis, apice fuscescentibus notæi, griseo-lutescentibus gastraei.

Habitat in campis inter Volgam et Ural fluvios.

Dentes superiores: primores quatuor geminati acuti; laniarius acutus triquetrus, primoribus triplo longior; molares utrinque quinque: primus minutus acutus, tres ultimi latere externo argute bicuspidati, interne gradu obtuso aucti.

Dentes inferiores: primores sex minuti in tomii directionem positi, acie crenulata; laniarius conicus acutus, antice in basi cuspide parva primoribus paulo longiore auctus; molares quinque: duo anteriores unicuspides acuti, laniario paulo breviores, reliqui bis terve cuspidati.

Plicæ palatinæ septem: prima transversa continua integra, reliquæ in medio crenatæ. Rostrum

obtusissimum rotundatum. Auriculæ subrotundæ, æque longæ ac latæ, margine externo sub tragum incurvo et antrorsum longe producto, margine interno ad basin inflexo et rotundato. Tragus dimidia auricula brevior, sesqui longior quam latior, obtusissimus, apice latior quam basi, obovato-reniformis.

Antibrachii corpori adpressi apex in animalculo sedenti ad oris fissuram dimidiam pervenit. Digitus quintus paulo brevior est, quam dimidia digiti tertii phalanx secunda, phalanx digiti quinti secunda usque ad articulationem phalangis primæ cum secunda digiti tertii pervenit. Patagium in latere inferiore per totum tractum subbrachialem usque ad digitorum basin pilosum; patagium lumbare usque ad tarsi basin adnatum; os calcis appendice cutanea parva semiovata instructum est. Notæi pili basi fusci, apice sordide rufescentes; gastræi pili basi fusci, apice griseo-fuscescentes aut lutescentes.

Mensuræ.

Longitudo a rostro ad caudæ apicem. .	3″ 10‴	Parisiorum
« « « « anum.	2″ $1\frac{1}{2}$‴	
Alarum expansio.	11″ 10‴	
Digitus quintus.	1″ 11‴	
Longitudo auris ad marginem externum.	7‴	
« « « « internum.	5‴	
Latitudo auris maxima.	$5\frac{3}{4}$‴	
Longitudo tragi.	$2\frac{1}{3}$‴	
Latitudo tragi maxima.	$1\frac{1}{2}$‴	

3. Vesperugo Nathusii *Keys. et Blas.*

Tab. XIII f. 5.

Keyserling u. Blasius Wirbelth. Europa's n. 84.

V. Dentes primores superiores duo interni bifidi, duo externi integri acuti; auriculæ rotundato-subtriangulares, trago late lineari-lanceolato obtusissimo incurvo, dimidiam aurem non attingente; notæum nigro-fuliginosum, gatræum rufescenti-nigrum.

Habitat in promontoriis Uralensibus australibus ad Sacmaram fluvium, circa Orenburgum; nec non in campis australibus, inter Volgam et Ural fluvios.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati: duo externi lineares acuti, duo interni latiores cylindrici ad tertiam partem usque bifidi, cuspide interna majore, cuspide externa paululo minore, quam dens externus. Laniarius primoribus duplo longior, conicus subtriquetrus, in basi externa gradu obtuso auctus. Molares utrinque quinque: primus minutus acutus, reliqui ter plicati, machæri formam ⋀⋀ referente.

Dentes inferiores: primores sex continui in tomii directionem positi, tricrenati. Laniarius laniario superiore paululo brevior, antice gradu

basali acuto auctus Molares utrinque quinque ; duo anteriores subtriquetri acuti , reliqui cuspidati.

Rostrum obtusum. Plicæ palatinæ septem : duo anteriores transversæ continuæ, quinque posteriores in medio profunde crenatæ. Auriculæ antrorsum flexæ rostro paululo longiores , — subtriangulæ rotundatæ , fere sesqui longiores , quam latiores , margine externo basi inflexo sub tragum protenso , eum autem vix superante, — margine interno æque longo quam auris latitudo , in basi rotundato. Tragûs dimidia aure paululo brevior , lineari-lanceolatus obtusissimus , duplo aut etiam duplo longior , quam latior, curvus , margine externo convexo in basi dentem obtusum gerente , margine interno concavo.

Patagium lumbare usque ad digitorum basin adnatum. Os calcis appendice cutanea parva , angusta, semiovata præditum. Digitus quintus phalangem digiti tertii primam cum secunda æquat ; phalanx digiti quinti secunda medium phalangis secundæ digiti tertii paululum superat.

Notæum fuliginoso-fuscum, pilis apice rufescentibus ; gastræum eodem modo coloratum est , sed pilorum apice rufescente longiore pallidius. Patagium nigricans , patagium lumbare juxta corporis latera et patagium anale ad ejus dimidium usque superne pilis perbrevibus fuscis, inferne pilis albis fasciculatim seu stellulatim obsita sunt.

Mensuræ Vesperuginis Nathusii:

Longitudo a rostro ad anum usque. . .	1″	$9\frac{2}{3}$‴
« ab ano ad caudæ apicem.	1″	$4\frac{1}{2}$‴
Alarum expansio.	9″	6‴
Longitudo digiti quinti.	1″	9‴
« « tertii.	2″	3‴
Margo auris internus.		4‴
« « externus.		$6\frac{1}{4}$‴
Latitudo auris.		$3\frac{1}{2}$‴
Aures antrorsum flexæ rostro longiores.		$\frac{7}{8}$‴
Margo tragi internus.		$1\frac{3}{4}$‴
« « externus.		$2\frac{3}{4}$‴
Latitudo tragi.		$\frac{7}{8}$‴

4. Vesperugo turcomanus *Evm.* (*).

Tab. XII. f. 2.

Evm. Mittheilungen über einige neue und weniger gekannte Säugethiere Russlands, im Bullet. de la Soc. des Nat. de Mosc. 1840. *N° I. p.* 21.

(*) Anno 1839 hunc vespertilionem primo descripsi, quæ descriptio anno 1840 in Bulletin supra monito imprimata est; cum autem eo tempore opus criticum Keyserlingii et Blasii celeberrimorum: *Die Wirbelthiere Europa's*, nondum vulgatum esset, opus, quod characteres discretivos ad vespertilionum species et genera distinguenda aptos modo omnibus numeris absoluto nos docuit, et hanc ob causam descriptio a me data nequit quin fuisset imperfecta, nunc alteram accuratiorem exponam.

V. Dentes primores superiores duo interni magni cylindrici apice bifidi, duo externi conici minutissimi; auriculæ capite breviores late ovatæ rotundatæ, trago dimidiam aurem attingente lanceolato; vellus notaei cano-brunnescens, gastræi albidum, pilis concoloribus.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor bigemini, utrinque internus magnus cylindricus apice bifidus, cuspidibus in tomii directionem positis, cuspide interna majore, — utrinque externus conico-acuminatus minutissimus, interno triplo brevior, ut vix conspicuus; inter eum et laniarium diastema. Laniarius primore interno non penitus duplo longior, triquetrus, in quoque latere sulcatus. Molares utrinque quatuor: primus triquetrus, conico-acutus, lateribus profunde sulcatus, laniario similis et non multo brevior; reliqui subæquales ter plicati, machæri figuram ΛΛ referente, interne aucti, gradu subtriangulari acutiusculo, apice rotundato.

Dentes inferiores: primores sex tricrenati, duo intermedii in tomii directionem positi, utrinque duo externi transversi, eodem modo, quo in V. Noctula. Laniarius utrinque unus eadem magnitudine, qua laniarius superior. Molares utrinque quinque: primus parvus ambiguus triplo minor laniario; secundus pariter unicuspis, triqueter, eadem altitudine, qua molares reliqui; tertius et

quartus subquinquecuspides, cuspidibus tribus internis minoribus; ultimus tricuspis, cuspidibus duabus internis externa minoribus.

Rostrum obtusiusculum. Auriculæ late ovatæ, apice obtusæ, rotundatæ, quarta parte latitudine longiores, margine interno ad basin inflexo, juxta tragum angulum acutiusculum formante, — margine externo sub tragum incurvo, et ad oris angulum protenso. Tragus dimidiam aurem attingens lanceolatus acutus rectus, latitudine triplo, aut etiam triplo longior.

Patagium lumbare ultra digitorum basin adnatum; appendix ossis calcis angustissima, ut fere nulla, sine curvatura aut lobulo. Digitus quintus æquat phalangem digiti tertii primam cum secunda; phalanx digiti tertii prima vix longior eadem phalange digiti quarti.

Vellus notaei dilute flavido-brunneum, gastraei albidus, pilis omnibus basi apiceque unicoloribus. Patagium dilute fuscum utrinque nudum, solummodo patagium anale superne ad caudæ basin paululum pilosum.

Mensuræ Vesperuginis turcomani; (e exemplari sicco).

Longitudo a rostro ad caudæ apicem.	4″	5‴
» caudæ.	1″	8‴
Cauda patagium superat.		3‴

Alarum expansio.	14″	—
Digitus quintus.	2″	6‴
« quartus.	2″	9‴
« tertius.	3″	3‴
« primus, sine ungue.		$3\frac{1}{4}$‴
Longitudo auris ad marginem internum. . . .		$6\frac{1}{2}$‴
« « « « externum. . . .		$7\frac{1}{2}$‴
Latitudo auris.		$5\frac{2}{3}$‴
Longitudo tragi.		$3\frac{1}{2}$‴
Latitudo tragi.		$1\frac{1}{3}$‴

Nota. Mensuras supra notatas in exemplari inter septemdecim maximo collegi: minimum alis expansis circiter octo pollices sumit.

5. Vesperugo discolor *Natterer.*

Tab. XII. f. 3.

Vespertilio discolor Natt. in Kuhl: Deutsche Flederm. n. 8
Vesperugo discolor Keyserl. u. Blasius: Wirbelth. Europa's n. 87.

V. Dentes primores superiores minuti, duo interni apice bifidi; auriculae antrorsum flexae rostri apicem attingentes, triangulari-ovatae, trago obovato-reniformi; corpus pilis bicoloribus: notaei fuscis apice albidis, gastraei albidis basi fuscis.

Habitat in provincia Orenburgensi; frequens in promontoriis Uralensibus.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati minuti, duo interni externis majores apice bifidi. Laniarius primoribus quadruplo longior, molaribus dimidio longior, inter eum et primorem externum parva lacuna. Molares utrinque quatuor: primus unicuspis paululo longior posterioribus, hi externe ter plicati machæri formam ΛΛ referente, interne gradu acutiusculo aucti.

Dentes inferiores: primores sex crenulati, externus internis major, subquadratus tritubérculatus Laniarius primoribus triplo altior. Molares utrinque quinque: primus unicuspis laniario duplo brevior, secundus subunicuspis, interne auctus, laniario paululo minor, sed molaribus posterioribus paululo longior; ultimi tres acute cuspidati.

Rostrum obtusum. Plicæ palatinæ septem: prima integra, reliquæ sex in medio profunde crenatæ; (in altero specimine quinque posteriores crenatas observavi). Auriculæ triangulari-ovatæ, eadem latitudine, qua margo internus longus est, obtusæ, rotundatæ, margine externo sub tragum ad inferiorem anguli oris partem usque producto, — margine interno basi rotundato. Auriculæ antrorsum flexæ rostri apicem accurate attingunt. Tragus lineari—reniformis, obtusus, apice latiore rotundatus, latitudine duplo longior, margine in-

terno incurvo, margine externo extrorsum curvo.

In animalculo sedenti alis complicatis antibrachium corpori adpressum accurate rostri apicem attingit, vel etiam una et dimidia linia brevius est. Patagium lumbare paululum ultra tarsi medium adnatum. Os calcis membranula appendiculari angusta semilanceolata. — Digitus quintus fere eadem longitudine, qua phalanx prima cum secunda digiti quarti, sed minor est, quam eædem phalanges digiti tertii una sumptæ; phalanx digiti quinti secunda mediam phalangem secundam digiti quarti non attingit.

Patagium fuscum; inferne circa corpus albopilosum; patagium anale superne fere usque ad dimidium fusco-pilosum. — Notæum cano-fuscum: pilis fuscis apice canis vel albidis; gastræum albidum: pilis albis basi fuscis, sub gula et inter femora postica totis albis. Rostrum auresque nigra.

Habeo exemplar, quod paululum differt a forma genuina: Notæum nigrum pilis apice canis, ad corporis latera unicoloribus nigris; gastræum per totum pilis basi nigris apice albidis, macula sub auribus albida; vellus aures superne basi antica tegens pariter albidum. Patagium nigrum, apice (inter digiti tertii et quarti apices) sex lineas in latitudinem album. An status morbosus? — Dentes, pro dolor! accuratius explorare non potui.

Mensuræ Vesperuginis discoloris:

Longitudo corporis a rostro ad anum.	2″ 3‴
" " " " " caudae apicem. . .	4″ —
Alarum expansio.	9″ 11‴
Digitus quintus.	2″ —
" tertius	2″ 9‴
Longitudo auris ad marginem internum.	5‴
" " " " externum.	7‴
Latitudo auris (ad marginis interni basin) in statu naturali.	5‴
" " explanatae.	7‴
Longitudo tragi ad marginem internum.	$1\frac{7}{8}$‴
Latitudo tragi maxima (in ejus medio).	$1\frac{1}{4}$‴
Auris trago longior.	4‴

Nota. Inter septem exemplaria maximum alis expansis colligit 11″ 9‴.—

6. Vespertilio Brandtii *Evm.*

Tab. XIII. f. 8.

V. Dentes primores superiores bifidi, interni in tomii directionem positi, externi transversi; auriculæ ovatæ obtusæ capite longiores, trago lanceolato acuminato; notaeum rufofuscum, gastræum griseum.

Habitat in promontoriis Uralensibus ad Sacmaram fluvium et in provinciæ Casanensis lucis hortisque.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati, omnes bifidi: utrinque internus in maxillæ directionem positus, utrinque externus transversus; inter eum et laniarium parva lacuna. Laniarius conicus acutus eadem magnitudine, qua Laniarius inferior. Molares utrinque sex: duo anteriores minuti conici, circiter sextuplo laniario breviores; tertius subunicuspis, posterioribus longior, laniario non multo brevior; quartus et quintus lati, interne gradu acuto externe cuspidibus duabus acutis iustructi, machæri formam ΛΛ referente; ultimus minor subbicuspis.

Dentes inferiores: primores sex continui: quatuor medii homogenei æquales subdiaphani cæsii, scalpris crenulatis tomio parallelis; utrinque externus reliquis major, latior, subquadratus, obtuse tricuspis aut tuberculatus, albus. Laniarius approximatus conicus acutus, primoribus duplo vel triplo longior. Molares utrinque sex: primus et secundus æquales parvi, laniario duplo breviores, conici, unicuspides; tertius unicuspis triquetrus altitudine posteriorum et fere eadem altitudine, qua laniarius; ultimi tres acute subquadricuspides, ultimus paululo minor.

Frons convexiuscula, aut fere in eadem directione, qua ossa nasalia. — Rostrum acutiusculum. Palatum plicis transversis octo instructum: quin-

que posticis in medio crenato-fractis, tribus anticis integris. Auriculæ ovato-oblongæ, duplo longiores, quam latiores, obtusæ, antrorsum flexæ capite paulo longiores, margine externo basi inflexo, margine interno in angulum rectum excurrente. Tragus dimidiam aurem attingens lanceolatus acuminatus, latitudine triplo vel quadruplo longior, externe dente basali obtuso instructus.

In animalculo sedenti alarum complicatarum antibrachium corpori adpressum dimidiam oris fissuram attingit. Digitus quintus dimidiam phalangem digiti tertii tertiam paululum superat; phalanx digiti tertii secunda et tertia æque longæ. Patagium nigro-fuscum unicolor nudum, sub brachio paululum pilosum; patagium lumbare usque ad $\frac{2}{3}$ metatarsi adnatum patagium; anale in regione ossis calcis, appendice membranacea carentis, paululum ciliatum.

Notaeum rufo-fuscum: pilis nigris apice rufo-fuscis; gastræum nigricanti-griseum, in medio albidius: pilis nigris, apice albidis.

Mensuræ Vespertilionis Brandtii.

Longitudo corporis a rostro ad anum usque	1‴	7‴‴
" " " " caudae apicem.	3‴	1‴‴
Alarum expansio	8‴	9‴‴
Digitus quintus.	1‴	8‴‴
" tertius.	2‴	—
Pollex sine ungue		$2\frac{1}{2}$‴‴

Longitudo auris ad marginem externum.	$7'''$
» » » internum.	$6'''$
Latitudo auris in statu naturali.	$3\frac{1}{4}'''$
» » explanatae.	$4\frac{1}{4}'''$
Longitudo tragi.	$3\frac{2}{3}'''$
Latitudo tragi.	$1'''$
Aures antrorsum flexæ rostro longiores.	$1\frac{2}{3}'''$

Nota. Inter septem exemplaria maximum alis expansis $9''$ $1'''$ colligit.

7. Vespertilio Nattereri *Ruhl.*

Tab. XIII. f. 7.

[1] *Kuhl: Deutsche Flederm. n.* 2.—*Keyserl. u. Blasius: Wirbelthiere Europa's n.* 95

V. Dentes primores superiores omnes unicuspides; auriculæ oblongæ, capite longiores, margine externo rectiusculo, margine interno curvo,— trago dimidium aurem longe superante sublineari acuminato obtusiusculo; notaeum brunneum, gastraeum albidum; patagium anale manifeste ciliatum.

Habitat in promontoriis Uralensibus ad Sacmaram fluvium.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati, omnes simplices unicuspides. Inter primores et

laniarium duplo longiorem parva lacuna. Molares sex : duo anteriores parvi , laniario quadruplo minores; posteriores complicati cuspidati.

Dentes inferiores: primores sex, secundum tomii directionem impositi , postice gradu acutiusculo aucti. Laniarius primoribus duplo longior. Molares utrinque sex: duo anteriores conici, laniarium dimidium adæquantes ; posteriores acute multicuspides

Rostrum acutiusculum. Plicæ palati octo : quatuor anteriores integræ , quatuor posteriores in medio crenatæ. Auriculæ antrorsum flexæ rostri apicem tertia parte superant,—oblongæ, latitudine duplo longiores, apice obtusæ rotundatæ, margine externo rectiusculo, sub apice leviter sinuato, basi sub tragum inflexo ibique finito,—margine interno extrorsum curvo , basin versus in dentem excurrente. Tragus longus sublinearis , rectiusculus, aut vix extrorsum curvus , a basi ad apicem sensim attenuatus , apice obtusus , quintuplo longior , quam latior, mediam auriculam multum superans, basi externa bis dentatus.

Patagium fuscum nudum , sub axillis pilosum ; patagium anale per totum marginem pilis brevibus albidis distincte ciliatum ; patagium lumbare fere ad digitorum basin usque adnatum; os calcis appendice membranacea caret. — Digitus quintus medium phalangis tertii digiti tertii attingit; pha-

lanx tertia digiti tertii phalange secunda ejusdem digiti minor.

Vellus fere eodem modo coloratum est, quo Vespertilio Daubentonii: notaeum brunneum, pilis fuscis apice brunnescentibus; gastræum albidum, pilis basi nigris, apice albis.

Mensuræ Vespertilionis Nattereri:

Longitudo corporis sine cauda.	2″ 1‴
" caudæ.	1″ 7‴
Alarum expansio.	11″ —
Longitudo digiti quinti.	2″ 3‴
" " tertii.	2″ $10\frac{1}{2}$‴
" auris ad marginem internum.	7‴
" " " " externum.	8‴
Latitudo auris in statu naturali.	$3\frac{1}{3}$‴
" " explanatæ.	$4\frac{1}{2}$‴
Aures antrorsum flexæ rostrum superant	$2\frac{1}{2}$‴—3‴
Longitudo tragi.	5‴
Latitudo tragi maxima baseos.	1‴
Tragus aure brevior.	$2\frac{1}{2}$‴

8. Vespertilio Daubentonii *Leisler.*

Keyserling u. Blasius Wirbelth. Europa's n. 97. Vespertilio Volgensis Evm. Bullet. de la Soc. des Nat. de Mosc. 1840. I. p. 24.

V. Dentes primores superiores emarginati; auriculæ longitudine capitis, oblique ovatæ obtusæ,

trago lineari—lanceolato obtusiusculo, dimidiam aurem vix attingente; plicæ palatinae octo, tres anteriores integræ; notaeum brunneum, gastraeum griseo-albidum.

Habitat rarius in promontoriis Uralensibus australibus, ad Ic et Sacmaram fluvios, circa Orenburgum, etc.; frequenter in provincia Casanensi ad Volgam fluvium superiorem, in tractu Vassily-Sursk.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminali, omnes apice emarginati, duo externi transversi, duo interni secundum maxillæ directionem impositi. Laniarius primoribus triplo aut etiam triplo longior. Molares utrinque sex: duo anteriores minuti, primoribus vix altiores, unicuspides,—tertius etiam unicuspis, sed altitudine posteriorum,—hi externe acute tricuspidati, in latere interno fovea media excavati.

Dentes inferiores: primores sex minuti. Laniarius laniario superiore paullulo minor. Molares utrinque sex: duo anteriores laniarii altitudinem dimidiam paululum superant, — tertius etiam unicuspis, — tres posteriores externe cuspidibus duabus magnis instructi.

Rostrum obtusiusculum. Plicæ palatinæ octo, tres anteriores integræ, quinque posteriores in

medio crenatæ. Auriculæ antrorsum flexæ rostri apicem attingunt, vel paululum superant,—oblique ovatæ, obtusæ, rotundatæ, duplo longiores, quam latiores, margine interno extrorsum curvo in angulum baseos rectum excurrente, margine externo bis sinuato (altero sinu medio, altero prope basin), sub trago finito. Tragus lineari—lanceolatus, apice obtusus, basi externa unidentatus, auriculam mediam vix æquans.

Patagium lumbare paululum ultra carpi basin adnatum ibique, æque ac patagium anale, paululum ciliatum, — sub axillis pilosum. Os calcis apice sublobatum. Digitus quintus medium phalangis tertiæ digiti tertii attingit; phalanx tertia digiti tertii phalange secunda ejusdem digiti paululo minor est.

Notæum e griseo brunneum: pilis dimidio basali nigris, apicali grisescenti—brunneis; gastræum albidum, pilis nigris, apice albis.

Mensuræ Vespertilionis Daubentonii:

Longitudo a rostro ad caudae apicem	3″ 3‴
„ „ „ anum.	1″ 10‴
Alarum expansio	9″ 10‴
Digitus quintus.	1″ 11‴
„ tertius.	2″ 4‴
Longitudo auris ad marginem internum	$5\frac{1}{2}$‴
„ „ „ „ externum	$6\frac{2}{3}$‴
Latitudo auris.	3‴
Longitudo tragi a dente basali.	$2\frac{3}{4}$‴

Latitudo tragi baseos.	$\frac{5}{4}''''$
Auris trago longior.	$3\frac{1}{4}''''$
Aures antrorsum flexæ rostri apicem attingunt, vel eum superant.	$\frac{1}{4}''''$

In animalculo alis complicatis antibrachium rostri apicem fere attingit.

Nota. Habeo septem exemplaria in montibus Altaicis capta, quæ differunt vellere obscuriore et mole minore, licet omnia (ob dentes usu detritos) provecta; ceterum non differunt.

9. Plecotus auritus *L.*

Vespertilio auritus L. S. XII p. 47. *n.* 5.—*Plecotus auritus Keyserl. u. Blasius Wirbelth. n.* 100.

Pl. auriculis oblongis longitudine antibrachii, trago lanceolato acuminato basi dentigero, dimidiam aurem æquante, — digitis quinto quartoque æqualibus, antibrachio multo longioribus,—notæo brunneo, gastræo albido, utriusque pilis basi nigricantibus.

Habitat frequens in provinciis Casanensi et Orenburgensi; vulgatissima in promontoriis Uralensibus.

Descriptio.

Dentes superiores: primores quatuor geminati apice bifidi; interni externis paululo, in tomii di-

rectionem positi; externi transversi. Laniarius utrinque unus a primoribus remotus hisque quadruplo longior, sed molaribus non multo longior. Molares utrinque quinque argute cuspidati; primus minutus vix major primoribus, secundus paululo minor laniario, reliqui subæquales, secundo paululo breviores.

Dentes inferiores: primores sex, tuberculati. Laniarius utrinque unus molaribus posterioribus haud longior, in basi cuspidibus duabus acutis auctus. Molares utrinque sex argute cuspidati, cuspidibus triquetris; duo anteriores laniario duplo breviores.

Plicæ palatinæ septem, omnes continuæ.—Rostrum breve. Auriculæ maximæ oblongo—ovales, capite triplo longiores, eadem longitudine, qua antibrachium est, plicis transversis obsoletis viginti et duabus, in basi marginis interni dente distincto magno instructæ, in pagina antica pilis brevibus passim raroque obsitæ, margine interno ciliatæ. Tragus dimidia aure modo longior, modo brevior est, liniari—lanceolatus acuminatus, in basi externa dente magno obtuso præditus.—Patagium lumbare latissimum, usque ad digitorum basin adnatum. Membrana appendicularis ossis calcis nulla. Digitus quartus et quintus æque longi antibrachium una cum ejus tertia parte sumptum æquant; digitus primus sat longus, paululo longior, quam digiti quinti phalanx secunda.

Notaeum brunneum, aut griseo-brunneum, eodem colore, quo in V. Nattereri, pilis apice brunneis, basi nigricantibus; gastræum albidum, pariter parum differt a V. Nattereri, pilis apice albidis, basi nigricantibus. Patagium eodem colore, quo notaeum est, brunneun, nudum, supra infraque circa corpus paululum pilosum.

Mensuræ Plecoti auriti, (in exemplari exsiccato sumtæ):

Longitudo corporis a rostro ad anum.	1″	9‴
" ab ano ad caudæ apicem.	1″	11‴
Cauda e patagio exstat.		$1\frac{1}{2}$‴
Alarum expansio	10″	4‴
Longitudo digiti quinti, vel quarti.	2″	—
" " tertii.	2″	6‴
" " primi sine ungue.		$4\frac{1}{2}$‴
" antibrachii	1″	$5\frac{1}{5}$‴
" auris.	1″	4‴
Latitudo auris explanatae.		9‴
Aures antrorsum flexæ rostro longiores. . . .	1″	$1\frac{1}{2}$‴
Longitudo tragi		$7\frac{2}{3}$‴
Latitudo tragi.		$1\frac{5}{6}$‴

Nota. Hæc species satis longe vulgata est: habeo exemplaria in territorio montium Altaicorum Chinensi capta; quæ vix differunt a nostratibus.

Explicatio tabularum XII et XIII.

Fig. 1. Vesperugo Noctula, Schreb. (e varietate β. adhibita).
- a auris (ad exuvias delineata).
- b. dentes duo primores superiores cum laniario, a latere externo adspecti.
- c. dens molaris superior secundus, ex adverso adspectus
- d. idem, a latere interno adspectus.
- e. dens molaris inferior, interne adspectus.
- f. dens primoris inferior.
- g. laniarius et molares superiores cum dente accessorio h, a latere interno adspecti.
- i. dens accessorius maxime auctus.

Fig. 2. Vesperugo turcomanus, Evm.
- a. auris (e exuviis delineata).
- b. tragus.
- c. dentes duo superiores cum laniario, externe adspecti.
- d. dens molaris superior.
- e. dens molaris inferior.

Fig. 3. Vesperugo discolor, Natter (ex vivo delineatus).
- a. tragus.

Fig 4. Vesperugo Leisleri, Kuhl. (ex vivo).
- b. dens molaris superior.

Fig. 5. Vesperugo Nathusii, Blas. et Keyserl. (ex vivo).
- a. tragus.
- b. dentes duo primores superiores cum laniario

Fig. 6. Vespertilio Daubentonii, Leisl. (ex vivo).
- a. laniarius et molares superiores.

Fig. 7. Vespertilio Nattereri, Kuhl. (ex vivo).

Fig. 8. Vespertilio Brandtii, Evm. (ex vivo).
- a cranium (ad frontis directionem ostendum).

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.



Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 7.





Fig. 8.



Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN. 21, 1908

